

De nominibus, quibus a veteribus appellantur Indorum philosophi.

Quum permultae res sint, eaeque cognitione dignissimae, quae de India antiqua a rerum scriptoribus Graecis atque Latinis nobis traduntur, tum gravissimi sunt momenti quae de Indorum philosophis ex illorum commentariis innotuerunt. Ipsa quidem Gymnosophistarum dogmata ex annosis eorum voluminibus in Europam nostram demum allatis et curiosorum hominum perscrutationi patefactis colligi possunt; sin autem quaeritur, qua aetate quaeque philosophorum istorum secta floruerit, vel quanto temporis intervallo quaevis schola ceteras aut antecedit aut sequatur, altum est apud ipsos Indos silentium. Unde fit, ut vel levissimis vestigiis sit insistendum, si a scriptoribus utriusque linguae, Graecam dico et Latinam, quid relatum sit, quod ad historicas Indicae philosophiae rationes accuratius definiendas faciat.

Neque aliena est omnino haec quaestio a litteris Graecis et Latinis, quum et loci sint veterum, iique complures, qui haud facile recte intelligi possint, nisi totum hoc argumentum de philosophis Indicis copiosius et accuratius fuerit illustratum, et probabili evinci possit demonstratione, tantam intercedere inter quaedam Indorum et seriorum Platonico-rum atque Gnosticorum placita affinitatis necessitudinem, ut dignissima sit, in quam diligentius inquiratur. Quod tamen fieri nequit, nisi antea ostentum fuerit, quaenam Gymnosophistarum dogmata ista aetate a Graecis cognosci potuissent.

Congerentibus autem nobis undique et inter se comparantibus veterum locos mox sese praebet difficultas varias, in quas distribuuntur Indici philosophi, sectas recte distinguendi. Cuius difficultatis id potissimum in caussa est, quod multae iam antiquitus per Indiam obtinere philosophorum scholae, diversae illae quidem inter se et aliis nominibus aliae appellatae, veruntamen communi quodam similitudinis vinculo ita inter se coniunctae, ut Graeci eas confundere facile possent, unique tribuere sectae, quod ad aliam tantum pertineret. Quod si a Graecis factum sit, factum autem esse interdum vix est, quod dubitemus, quanto difficilius erit nobis, nunc demum eruere, quosnam Indorum philosophos quovis loco significare voluerint veteres. E solis, quae illis tribuuntur, opinionibus, utpote quarum pleraeque pluribus scholis sint communes, rescindi vix poterunt nostrae dubitationes. Nomina autem a Graecis prolata si in auxilium vocas, eaque cum Indicis comparas, novae exsurgunt dubitandi caussae. Quaedam enim inter se tam parum discrepant, ut vix credideris, ea esse diversa; alia temporis decursu obsoleverunt, aliisque locum cesserunt, ita ut apud Indos difficilius nunc detegantur; alia denique a Graecis aut inventa sunt aut ex Indicis Graeca facta.

Quae quum ita sint, vix mirabimur, diversas admodum fuisse sententias eorum, qui post renatum antiquitatis studium variis temporibus hanc quaestionem tractavere, licet rem aggressi sint viri nec pauci neque indocti. Quorum tamen omnium opiniones recensere et diiudicare supersedeo. Plerique enim aut ante detectas et in lucem tandem prolatas antiquas Indorum litteras scripserunt, aut omni Indicae linguae cognitione destituti fuere; quantum autem momenti in hac re tractanda linguae sit attribuendum, nemo est quin videat. Ceteris itaque silentio praetermissis, duorum tantum virorum sententias in iudicium vocabo; quorum alter, *Colebrookius*, Anglus, quum totius Indicae antiquitatis, tum vetustae Gy-

mnosophistarum philosophiae diligentissimus et sagacissimus nobis exstitit indagator; alter, *Bohlenius*, nostras, docte ut solet et gnaviter hunc locum tractavit in scriptione, qua Buddhicae religionis originem et aetatem accuratius explorare tentavit.

Incipienda est autem omnis de Gymnosophistis oratio ab accurata nominum definitione; quod nisi fit, in dubia omnia et incerta abit tota disputatio. Primum igitur investigabo, quae sint nomina Indicis philosophis a Graecis imposita, quae inter ea Indicae sint originis, quae a Graecis inventa, denique quo sensu quodque usurpetur; exordiar autem ab eis nominibus, quae brevius expediri possint, posthac ea tracturus, in quibus definiendis longius debeam versari. —

I.

Ac primum quidem constat, Indorum philosophos proprio vocabulo a Graecis dictos fuisse *Gymnosophistas*. Quod nomen non ab Indis petitum est, sed a Graecis inventum, uti testificatur Porphyrius 1): *Ἰνδῶν γὰρ τῆς πολιτείας εἰς πολλὰ νενεμημένης, ἐστὶ τι γένος παρ' αὐτοῖς τὸ τῶν θεοσόφων οὐς Γυμνοσοφιστὰς καλεῖν εἰώθασιν Ἕλληνας*. Nominis rationem hanc reddit Augustinus 2): „Per opacas quoque Indiae solitudines, quum quidam nudi philosophantur, unde Gymnosophistae nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per caetera membrorum carent.“ Consulto hoc monui, vocem hanc Graecae esse inventionis, quia prorsus similis significatus vocabulum in lingua Indica exstat, *digambara*, quod facile aliquis opinari posset exemplar fuisse, e quo Graeci Gymnosophistas suos fecerint, praesertim quum Indi voce digambara de philosophorum quadam secta utantur 3). Sed ut taceam, huius sectae nullam certam men-

1) De abstinent IV, p. 355 ed. Rhoer.

2) De civit. Dei XIV, c. 17.

3) *Jaina* vulgo dicuntur.

tionem a Graecis iniectam esse, multo etiam latius patuit Graeci vocabuli usus, utpote quo in universum dicerentur Indi, quotquot aut depositis ceteris vitae negotiis philosophandi studio toti sese traderent, aut religionibus curandis vacarent. Sic utitur Porphyrius, qui l. l. Gymnosophistarum nomine comprehendit et Brachmanas et Samanacos; similiterque Clemens Alexandrinus 4), qui eodem nomine appellat Brachmanas et eam sectam, quam ipse Sarmanas vocat, alii aliter. Sunt denique, qui vocabuli vim ita invertant, ut Gymnosophistas strictiore ponant sensu, quam Brachmanas, veluti Apuleius, qui Floridor. II. hisce utitur de Brachmanis verbis: „Hi sapientes viri sunt, Indiae gens est. Eorum ergo Brachmanum Gymnosophistas adisse (Pythagoram) et q. s.“

A Strabone usurpatum hoc nomen non inveni; quos simili appellatione *Γυμνήτας* ille dixit 5), ii referri debent ad eorum sectam, quam ipse alias Garmanum nominat, ut ex eis, quae infra disputabuntur, patebit. Iidem autem, qui aliis Gymnosophistae sunt, geographo dicuntur *philosophi* 6), ad quos ex eius sententia non solum Brachmanae pertinent, sed etiam, praeter Garmanas, *Pramnae* 7), philosophorum genus Brachmanis oppositum, et Indorum alii 8), quos aut regiones montanas incolentes in Dionysi honorem hymnos fundere docuerat Megasthenes, aut locos planos atque campestris inhabitare et Herculem veneratione prosequi.

Quae quidem ambae divisiones, ut nemo non videt, ad

4) Strom I, p. 359. Pott.

5) *Τούτων* (Brachmanum) δὲ τοὺς μὲν ὄρεινους καλεῖσθαι, τοὺς δὲ γυμνήτας κ. τ. λ. Vid. Lib. XV, p. 302. Tauchn.

6) l. l. p. 278. φησὶ δὲ τὸ τῶν Ἰνδῶν πλῆθος εἰς ἑπτὰ μέρη διηρησθαι, καὶ πρῶτους μὲν τοὺς φιλοσόφους εἶναι κατὰ τιμὴν κ. τ. λ.

7) Φιλοσόφους τε τοῖς Βραχμᾶσιν ἀντιδιαροῦνται Πράμνας, ἐριστικούς τινὰς καὶ ἐλεγτικούς. l. l. p. 302.

8) Περὶ δὲ τῶν φιλοσόφων λέγων, τοὺς μὲν ὄρεινους αὐτῶν φησὶν ὑμνήτας εἶναι τοῦ Διονύσου — τοὺς δὲ πεδισίους τὸν Ἡρακλέα τιμᾶν. l. l. p. 291. Hercules qui dicitur, Indis est Vishnus vel potius Crishnas. Dionysus, ut constat, Sivas.

religionem et in externis rebus positum numinis cultum spectant magis, quam ad aliquam doctrinae discrepantiam; verum enim vero bene memoria est tenendum, si appellationem istam a Strabone, sive potius a Megasthene profectam, recte intelligere volumus, apud Indos coniunctas esse plerumque diversas numinis extrinsecus colendi rationes cum persuasionis quadam et quae inde proficiscatur, philosophicae disciplinae diversitate.

Ambae autem istae appellationes, philosophorum nimirum et Gymnosophistarum, generales sunt, eisque declaratur non tantum ordo Indicae gentis sacerdotalis, ab indigenis universalis Brachmanum nomine dictus, sed etiam, si qui inventi sunt per Indiam homines, religionem a Brachmanum disciplina abhorrentem amplexi aut philosophicam sectantes scholam Brachmanum placitis oppositam. Eodem sensu alii veterum sophistas Indorum dicunt et sapientes 9). Caussam autem cur Megasthenes et qui eum sequuti sunt, potius philosophos nominaverit istos homines, quam sacerdotes, in eo latet, quod omnes Brachmanae, qui soli essent Indorum, quibus ad litteras antiquitus pateret aditus, iuvenili aetate totam, quae ordinis esset, scientiam edoceri deberent; philosophi igitur iure quodam dici poterant, verum non itidem sacerdotes, siquidem paucissimi eorum, licet sacerdotali conditione nati, sacerdotio tanquam unico vitae munere fungebantur. Qua de re infra quaedam addam. Gymnosophistas autem non dixisse videtur Megasthenes; utitur vocabulo Plutarchus 10); utitur etiam Plinius 11); his priorum, si bene memini, nullus. Perduravit contra nomen in ultima antiquitatis tempora. Sic Prudentius Hamartig. 402. „Hinc gerit Herculeam vilis sapientia clavam Ostentatque suos vicatim Gymnosophistas.“

9) Strabo l. I. p. 299. *Νέστωρος δὲ περὶ τῶν σοφιστῶν οὕτω λέγει κ. τ. λ.* Eodem vocabulo utitur saepius Arrianus. Sapientes dicit Curtius VIII, 9, 31.

10) Vit. Alc. c. 74. 11) VII, 2.

II.

Nulla prorsus ratio habenda est *Calanorum* nominis, quo etiam philosophos Indicos in universum dictos fuisse, auctor est Iosephus 12). Fictio haec est scioli cuiusdam, petita a nomine Calani, qui, ut constat, unus e Gymnosophistarum numero fuit, et Alexandrum Magnum per aliquod tempus sequutus, mox autem pertaesus vitae huius aerumnosae et miseris undique obsitae, pyram struendam curavit et admirante toto Macedonum exercitu, vivus calentem rogam conscendit. Qua morte ita inclaruit eius nomen, ut permulta ab eo omnino aliena in eum accumularentur. Hinc etiam factum est, ut eum omnium Indicorum philosophorum quasi *ἐπώνυμον* praedicaverit is, quem sequutus isto loco est Iosephus. At Calano ab origine nomen fuit Sphini, ut testificatur nobis Plutarchus, Calanum autem dixerant Graeci ab Indico vocabulo *Καλέ*, i. e. *Χαῖρε*, quo ille in salutando utebatur 13).

III.

Pervenio nunc ad clarissimum *Brachmanum* nomen, cui illustrando nulla opus esse disputatione videri posset, quippe quod satis notae ac bene definitae esset significationis. Attamen si veterum testimonia cum Indicis voluminibus comparantur, mox apparet, diverso sensu a Graecis atque Indici dicitur Brachmanas. Quae res ut melius exponatur, disputandum erit breviter de divisionibus, in quas distributa ab ultima iam antiquitate fuit Indorum natio.

Gens itaque eorum universa in quatuor dividitur ordines, quorum primus, sacerdotalis, summo loco habetur et ceteris

12) Contr. Apion. I, p. 484. *Καλοῦνται δὲ, ὡς φασιν, οἱ φιλόσοφοι παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς Καλανοί.*

13) Plut. vit. Alex. 74. *Ἐπεὶ δὲ κατ' Ἰνδικὴν γλωττίαν τῆς Καλέ προσαγορεύων, ἀντὶ τοῦ Χαίρειν, τοὺς ἐντυγχάνοντας ἡσπάζετο, Κάλανος ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ὠνομάσθη.* Indicam vocem alii iam eieverunt: *calyāna*.

longe anteponitur. Hunc Brachmanum nomine distinguunt Indi. Diversi autem sunt inter se Brachmanac quum numero ac nominibus deorum, quos venerantur, et dogmatis, quae alii alia sunt amplexi, unde permultae eorum originem traxere sectae, tum diversa vitae conditione et aetatis discrimine. Sectarum illarum quae sint nomina, vel opinionum varietates, nunc non attingam; huius autem loci est docere, quomodo vita Brachmanum iuxta aetatis diversitatem in spatia quaedam dispertiat. Quae spatia ab Indis dicuntur *ásramae*, i. e. mansiones; nos, si placet, *gradus* appellemus. Primus igitur *discipulorum* est *gradus*, qui ab infantia incipit et ad annum usque tricesimum septimum extendi potest. Indice autem dicuntur discipuli Brachmacharines, i. e. theologorum more viventes: nimirum apud magistros, qui a hominum societate remoti sylvarum et camporum solitudines colere solebant, sacris litteris et quas alias profitebantur olim Gymnosophistae, disciplinis operam navabant, castimoniae observantes ex officio religionis. Hunc Brachmanicae vitae gradum nomine suo proprio non memorant veteres, descripsit tamen satis accurate Megasthenes, a Strabone laudatus 14).

Singula a Megasthene tradita qui illustrare aggreditur, eum ad Indorum ablego legislatorem, qui et hunc et ceteros gradus singulis capitibus definivit. Id unum obiter animadvertere iuvat, eundem huius gradus terminum a Manu poni, annum scilicet XXXVII. 15).

Sequitur gradus secundus, cui a patribus familias nomen inditum est ab Indis *gárhapatya*. Discipulus enim,

14) Ἄλλην δὲ διαίρεσιν ποιεῖται περὶ τῶν φιλοσόφων, δύο γένη φάσκων. ὧν τοὺς μὲν Βραχμᾶνας καλεῖ, τοὺς δὲ Γαομᾶνας. — De Brachmanis deinde pergit: Μετὰ δὲ τὴν γένεσιν ἄλλους καὶ ἄλλους διαδέχεσθαι τὴν ἐπιμέλειαν, αἰεὶ τῆς μείζονος ἡλικίας χαριεστέρων τυγχανούσης διδασκάλων. Διατρέβειν δὲ τοὺς φιλόσοφους ἐν ἄλλει πρὸ τῆς πόλεως, ὑπὸ περιβόλῳ συμμέτρῳ κ. τ. λ. — Ἐτη δ' ἐπιὰ καὶ τριάκοντα οὕτως ζήσαντα ἀναχωρεῖν εἰς τὴν ἑαυτοῦ κτῆσιν ἕκαστον. l. l. p. 291.

15) Mānuva Dharmā Sastra III, 1.

postquam a magistris praecepta, quibus regunda sit vita, legitime est edoctus, virilemque nactus aetatem, uxorem ducere debet, ut stirpem suam propaget. Liberorum procreandi summo omnino studio tenentur Indi, non libidine tantum excitati, sed religione obstricti. Nempe animae maiorum, qui vita honeste peracta in superum sedes evecti sunt, ibi ex Indorum persuasione remanere nequeunt, nisi a piis minoribus rite manibus libatur. Quam ob causam sanctissimum hoc patribus familias impositum est officium progeniera sibi suscitandi, non sui tantum gratia, sed etiam eorum, qui antea in eadem familia fuere. Religiones porro tum privatae, tum publicae patribus familias ex ordine sacerdotali curae esse debent.

Tertium vitae gradum ingreditur homo, quum (legislatoris Indorum utor verbis) musculos corporis laxari, capillumque canescere percipiat et nepotes sibi natos esse videat. Tum uxorem filio alendam relinquat atque in sylvarum solitudines secedat, ut ibi, reiectis omnibus humanae vitae curis, simplicissimoque agrestis cibi genere, herbis, radicibus, fructibus corpus sustentans, parcissimo et paene nullo vestitu indutus, oppositarum sibi tempestatum vim aequabili animo perferens, contemplandae summi numinis naturae, identidemque revolvendis librorum sacrorum oraculis indefesso studio possit vacare. Qui gradus a profectione, in sylvam dicitur *vanaprasthâna*, ipsi anachoretæ *vanaprasthae*, i. e. sylvicolæ. A tertio autem gradu haud vehementer differt quartus, qui *Sannyâsa* appellatur i. e. depositio. Scilicet homo, proveciore iam aetate et appropinquante iam ultimo vitae termino, omne aliud deponere debet studium, praeter hoc unum, omnem operam in eo collocare, ut animam ab huius vitae maculis magis magisque immunem numini. unde emanarit, restituat.

IV.

Si cum his comparantur, quae a Graecis scriptoribus,

praesertim a Megasthene, de sophistis Indicis memoriae sunt prodita, patefit, ad priores duos gradus restrictum fuisse Brachmanum nomen; qui autem a Brachmanis segregantur Sarmanae vel Garmanae, a tertio et quarto Brachmanum gradu haud diversos fuisse. Strabo e Megasthene XV, p. 295: *Τοὺς δὲ Γαρμᾶνας, τοὺς μὲν ἐντιμωτάτους Ἐλοβίους φησὶν ὀνομάζεσθαι. ζῶντας ἐν ταῖς ὕλαις ἀπὸ φύλλων καὶ καρπῶν ἀγρίων, ἐσθῆτας δ' ἔχειν ἀπὸ φλοιῶν δένδριων, ἀφροδισίων χωρὶς καὶ οἴνου.* Ex eodem Megasthene hausit Clemens Alexandrinus haec verba (Strom. I, p. 359. Pott.): --- *Ἰνδῶν τε οἱ Γυμνοσοφισταί· διττὸν δὲ τούτων τὸ γένος, οἱ μὲν Σαρμάναι αὐτῶν, οἱ δὲ Βραχμάναι καλούμενοι. καὶ τῶν Σαρμανῶν οἱ Ἀλλόβιοι προσαγορευόμενοι οὔτε πόλεις οἰκοῦσιν, οὔτε στέγας ἔχουσιν, δένδρων δὲ ἀμφιέννυνται φλοιοῖς, καὶ ἀκρόδρα σιτοῦνται, καὶ ὕδωρ ταῖς χερσὶ πίνουσιν· οὐ γάμον, οὐ παιδοποιίαν ἴσασιν, ὥσπερ οἱ νῦν Ἐγκρατῆται καλούμενοι.*

Comparatis utriusque loci verbis id vix dubium est, rescribendum esse apud Clementem Ἐλόβιοι pro Ἀλλόβιοι, quod alii iam viderunt 16); id suadet tum Strabonis textus, tum Indicium nomen Vanaprastha eiusdem prorsus significationis. Sed altera ex parte emendandum esse Strabonem e Clemente satis est probabile. Garmanarum enim istorum nullus praeter Strabonem iniecit mentionem. Clementis scripturam Sarmanas cur praefendam iudicem, eius rei in causa est sonus nominis Indici, qui cum Sarmanis melius consonat, quam cum Garmanis. Indi enim *Sramana* dicunt eisdem homines 17), cuius vocis prima syllaba vel propter solam hanc causam in *Σαρ* mutari debebat, quod aliena sunt a Graecorum lingua initia vocabulorum a sibilo litterae caninae praemisso. Scio equidem litteram Indicam, a qua incipit nomen istud, peculiari quadam pronuntiatione efferri, ita ut eam in eodem hoc nomine per *Z* Graece expressam invenias; nam

16) ex gr. Montacutius, Originn. Ecclesiastt. Part. I, p. 171.

17) Vid. Colebrook. in Asiat. Res. IX, p. 299. ed. Lond.

in inscriptione ista sophistae Indici sepulcrali, quam nobis tradidit idem ille Strabo, *Ζαρμανοχηγγας*, quo eum nomine dictum fuisse docemur, prima nominis pars ab eadem Indica appellatione haud dubie est repetenda 18). Per litteram *Γ* autem exprimi posse istud Indicum elementum, haud facile mihi persuaderi patior. Credibile praeterea minime est, duobus diversis modis a Megasthene idem redditum fuisse Indicum nomen. Rescribendum igitur esse apud Strabonem Sarmanas quanquam non dubito, id tamen confiteor me nescire, quomodo factum sit, ut in omnes libros, quotquot inspexi, irrepserit corrupta ista scriptura, quam qui inde explicare voluerit, quod librariorum mentibus obversatum sit Germanorum nomen, is ingeniosam magis quam probabilem coniecturam protulerit.

Utut res haec sese habeat, id pro certo habere nullus haesito, Sarmanarum nomine a veteribus designatos fuisse eosdem homines, qui ab Indis tertio quartoque Brachmanum gradui adscribebantur. Hoc suadet praeter nominis similitudinem cum Sramanis, prorsus simile vitae genus, Sarmanis attributum, alimentorum simplicitas, nuditas corporis, alia. Id solum huic sententiae opponi posset, quum post peracta iam patris familias officia et proveciore tantum aetate in tertium secedere deberent gradum Indorum sacerdotes, inde sequi, iuvenes a Sarmanarum catervis alienos fuisse. Scio equidem, senilem aetatem nunquam Sarmanis tanquam sectae eorum propriam a veteribus vindicari 19). At animadvertendum est, licitum fuisse Indis a primo statim gradu in tertium migrare, totamque meditationi et contemplationi dedicare vitam. Uti praeterea soliti sunt iuvenes sylvicolis istis philosophis

18) Vid. Wilson. ad Mrichchakat. p. 13.

19) De iuvene Sarmana loquitur Aristobulus ap. Strab. XV, p. 294. quanquam Indico vocis sensu usus Brachmanam eum nominat: *Ἀριστόβουλος δὲ τῶν ἐν Ταξίλοις σοφιστῶν ἰδεῖν δύο φησὶ, Βραχμάνικας ἀμφοτέρους, τὸν μὲν πρεσβύτερον ἐξυρημένον, τὸν δὲ νεώτερον κομήτην, ἀμφοτέροις δ' ἀκολουθεῖν μαθητής.*

tanquam magistris, ita ut apud eos per aliquot annos degerent, donec sacrarum litterarum, legumque cognitione ornati hominum societatem, familiarisque vitae consuetudinem resumere possent. Quartum autem gradum a tertio non distinxisse Megasthenem, vix est mirum, quia in nomine magis quam re positum est discrimen, quod inter utrumque intercedit. In eo tantum nonnihil difficultatis relictum esse video, quod *medicos* ad Sarmanas retulerit Megasthenes 20), quum ab Indis contra medici neque Brachmanis neque Sarmanis annumerentur, sed mixto cuidam ordini, ab utrisque diverso 21). Illam rem igitur tradendo aut errorem commisisse credendus est Megasthenes, aut non medicos proprie sic appellandos declarare voluit, sed homines *προσποιουμένους ἰατρικὴν μετὰ γοητείας καὶ ἐπιδῶν, καὶ περιάπτων* 22). Nimirum in persuasione est Indorum, homines istos soli numinis contemplationi ferventissimo studio deditos, sensualiumque affectuum vim rigidissimis et in ipsum corpus saevientibus quasi cruciatibus eradicantes, ad statum quendam solitam humanae naturae conditionem longissime transgressum eveli posse, quem adepti magica quadam facultate externarumque rerum dominatione gaudeant. Quales homines *Yogines* hodie vulgo dicunt. Hi ad anachoretarum ordinem pertinent; ad eundem refert Megasthenes istos medicos, de Garmanis l. l. tradens: *ἄσκεῖν δὲ καὶ τοὺτους ἀκείνους* (Hylobios et medicos) *καρτερίαν, τὴν τε ἐν πόνοις, καὶ τὴν ἐν ταῖς ὑπομοναῖς, ὡς ἐφ' ἐνὸς σχήματος ἀκίνητον διατελέσαι τὴν ἡμέραν ὅλην.*

His ita expositis, breviter repetam huius disputationis summam. Sarmanae qui a veteribus dicuntur, in univ-
ersum sunt anachoretae Indici, tum ii, qui post vitae partem inter homines peractam in sylvas philosophandi gratia secesse-

20) Strabo l. l. p. 294 *Μετὰ δὲ τοὺς Ἰλοβίους δευτερεύειν καὶ τιμὴν τοὺς ἰατρικοὺς κ. τ. λ.*

21) Manu X, 8. 47.

22) Verba sunt nescio cuius scriptoris de sophistis Indicis a Strabone laudata XV, p. 302.

rant, tum ii, qui iam a tenera aetate contemplatrici sese tradiderant disciplinae, tum denique ii, qui magicas virtutes, quibus per contemplationis constantiam potiti credebantur, morbis hominum curandis adhibere solebant. Brachmanae autem veteribus laudati sunt sacerdotalis ordinis homines, primum et secundum Indicae vitae gradum tenentes, nempe aut iuvenes, qui a magistris instituebantur, aut viri adulti, patres familias, deorum antistites, agrorum cultores, urbiumve incolae. Qui quidem Brachmanici nominis usus, si Indicam linguam respicis, falsus est, siquidem Brachmanae, etiamsi ad tertium vel quartum gradum pervenerint, Brachmanae esse non desinunt. In quo enim ordine homo apud Indos nascitur, in eo per totam vitam remanet; Brachmanae igitur Brachmanae sunt, etiam in sylvis anachoretarum vitam degentes 23).

Haec quae mox exposui, ad Megasthenem potissimum spectant; e commentariis ceterorum, qui Indicas res memoriae mandavere, paucos tantum locos conservavit Strabo. Nearchus 24) idem, quod Megasthenes, discrimen fecisse videtur: quos contemplationi naturae deditos dixit, ii a Sarmanis diversi esse nequeunt. Indico sensu Brachmanum nomen posuit, quisquis ille fuit, qui Strabone teste 25) totum ordinem in tres classes dividit: montanos, gymnetas, πολιτικούς. Montani et gymnetae Sarmanarum sunt genera, politici ii, quos Megasthenes Brachmanas dixerat.

Sed haec de Brachmanis sufficiant. In eis enim locis, ubi in universum de Indicis Gymnosophistis sermo instituitur, nulla habita ratione divisionum, in quas distribui debeant, definiiri nequit utrum Brachmanum nomen strictiore sensu ex mente Megasthenis, an latiore, quo Indorum more omnes

23) Indico vocis sensu Brachmanas dixit Aristobulus loco supra a me excitato.

24) Νεάρχος δὲ περὶ τῶν σοφιστῶν οὕτω λέγει. τοὺς μὲν Βραχμᾶνας πολιτεύεσθαι, καὶ παρακολουθεῖν τοῖς βασιλεῦσι οὐκ βούλους. τοὺς δ' ἄλλους σκοπεῖν τὸ περὶ γένειν. l. l. p. 299.

25) l. l. p. 303.

sacerdotali ordine nati homines Brachmanae appellantur, sit accipiendum.

V.

Brachmanis opponit nescio quem sequutus rerum scriptorem Strabo *Pramnas* 26); quos quidem infelici ex mea opinione conatu in Sarmanas mutare molitus est Bohlenius noster 27). Distinguunt sane veteres a Brachmanis Sarmanas, opponunt quod sciam nunquam, et explicandum potius est quam expungendum Pramnarum nomen. E brevi ista notitia, quam Straboni debemus, id colligere mihi posse videor, Pramnas scepticorum fuisse scholam, quales plures in India nobis innotuerunt. Ipsum autem nomen procul dubio repetendum est ab Indico vocabulo *pramána*, quod philosophorum est proprium, *demonstrationem* significans; *prámána* producta prima syllaba, homo est qui utitur demonstratione. Quam vocem a Graecis in Pramna mutatam esse opinor. Sed audio obiici mihi, non solis scepticis proprium esse demonstratione uti. Quod probe scio, sed illustrari poterit, credo, haec appellatio e dogmatis Indorum. Sectae nimirum eorum orthodoxae demonstratione quidem utuntur ad placita sua probanda, credunt vero fundamentum aliquod esse doctrinae, quod demonstratione non egeat, utpote quod a summo numine cum hominibus sit communicatum, omnique humana argumentatione certius. Quo loco Vedos suos habent Brachmanae. Hos igitur declarat legislator Indorum *apraméya* esse i. e. non demonstrabiles 28). Scholae autem haereticae, reiecto tali summae cognitionis fundamento, evidentiam rerum visibilium et demonstrationem ex humana mente quasi a primo suo capite

26) Strabo I, l. p. 302. : Φιλοσόφους τε τοῖς Βραχμᾶσιν ἀντιδιαγοῦνται Πράμνας, ἐριστικούς τινάς καὶ ἔλεγχτικούς. τοὺς δὲ Βραχμᾶνας φυσιολογίαν καὶ ἀστρονομίαν ἀσχεῖν, γελωμένους ὑπ' ἐκείνων ὡς ἀλαζόνας καὶ ἀνοήτους.

27) De Buddhaismi origine et aetate definiendis tentamen, conscripsit P. a Bohlen.

28) Manu XII, 94.

profectam summum veritatis fontem nuncupant. Pramānam igitur sive demonstrationem quum summo loco habeant, apte dicuntur Pramanici, quemadmodum simili voce Indice audiunt *haitucae* i. e. qui omnis rei rationem reddere volunt. Sceptici autem hi sunt ex opinione Brachmanum, siquidem annosa traditione sancitam divinae revelationis veritatem in dubitationem vocant. Vides, quam bene quadret haec Indicorum haereticorum definitio cum verbis Strabonis Pramnas describentis. At quanam scepticorum schola sit intelligenda, id docere non aggredior, licet in eam propensum memet esse opinionem confitear, dialecticorum scholam (*Nyāya* alias dicunt) isto loco designari, quandoquidem horum disputationes in pramana maxime versantur.

V.

Unum restat Indicorum philosophorum genus, de quo sit dicendum. *Samanaei* hi sunt, ante Clementem Alexandrinum a nemine veterum quod sciam memorati. De his brevior esse possem, nisi viderem, defendendam esse contra aliorum sententias eam, quam ipse veram crediderim. Incipiam autem hanc orationis meae partem a loco Porphyrii, qui e deperdito Bardesanis Babylonii libro quodam Samanaeorum notitiam satis amplam exhibuit 29). Hunc igitur locum si quis accurate perpenderit, is vix dubitabit, Samanaeorum nomine declaratos fuisse *Buddhae* sectatores. Una praesertim res est, quae huic sententiae stabiliendae inserviat: Samanaeos non sylvis degere, sed habere *οἶκος καὶ τεμένη ὑπὸ τοῦ βασιλέως οἰκοδομηθέντα*. Quae res, ut ex eis quae disputata iam sunt, notum esse debet, in Sarmanis sylvicolis aliter se habuit; constat contra, monachorum more in coenobiis congregatos vivere clericos Buddhaicos. Addi potest aliud levius quidem, attamen haud dubium Buddhaicae disciplinae in-

29) De abstinent. ab esu carn. IV, p. 355. seqq.

dicium, tintinnabulorum usus, qui nec Brachmanis nec Sarmanis unquam a veteribus tribuitur, Buddhistas autem ubi-vis terrarum migrantes sequitur. His accedit, quod Samanaei, monasticam vitam ingressuri, uxoribus renuntiabant; contra novimus tum e veterum testimoniis 30), tum ex Indorum libris, cum Sarmanis consociatas interdum fuisse uxores, castitati tamen devotas. Id consulto omitto, non natu imponi, sed libera voluntate eligi Samanaeorum conditionem. Quum enim Brachmanis licitum esset, a prima statim iuventute in Sarmanarum ordinum transire, dici quodammodo posset, etiam eorum conditionem libere eligi. Omitto igitur hoc argumentum, quo tamen corroborare meam possum sententiam, simul atque evictum iam est, Samanaeorum nomine designari Buddhistas. Contra ponit enim Porphyrius Samanaeis Brachmanas dicendo: πάντες γὰρ Βραχμῶνες ἐνὸς εἰσὶ γένους· ἕξ ἐνὸς γὰρ πατρὸς, καὶ μιᾶς μητρὸς πάντες κατάγουσιν. Σαμαναῖοι δὲ οὐκ εἰσὶ τοῦ γένους αὐτῶν, ἀλλ' ἐκ παντὸς τοῦ τῶν Ἰνδῶν ἔθνους, ὡς ἔφαμεν, συνειλεγμένοι. Brachmanum et in universum omnium Indorum, qui Brachmanicam sequuntur legem, proprium est, ut constat, uni quatuor ordinum adhaerere, minimeque licitum est, ex uno ordine, prout libuerit, in alterum transgredi. Buddhas autem, qui Brachmanicae legis exstitit reformator atque refragator, ordinum discrimina omnino abrogavit, quo facto ad clericorum ordinem patefactus omnium ordinum hominibus est aditus. Id dicere vult Barthesanes, et qui eum sequitur Porphyrius.

Quae quum ita sint, non potuerunt quin Samanaeos Buddhaicae sectae adscriberent viri harum rerum gnari iudices, Schlegelius 31), et ante eum Bohlenius 32). At video in aliam discessisse sententiam Colebrookium 33), virum summum, qui

30) Strabo l. l. p. 294. de Sarmanis: συμφιλοσοφεῖν δ' ἐνίοις καὶ γυναῖκας, ἀπεχομένας καὶ αὐτὰς ἀφροδισίων.

31) Berlin. Kalend. 1829. p. 55.

32) l. l. p. 33.

33) Asiat. Res. IX, p. 299.

ad hunc finem disputavit, ut probaret, Samanaeos, Sarmanasque haud inter se fuisse diversos atque utroque nomine designari anachoretas Indicos, qui tamen cui religioni, Brachmanicae an Buddhaicae, addicti fuerint, definire non ausus est, licet in eam maxime inclinare videatur opinionem, eos a Buddhae asseclis esse distinguendos. Sed obiter totam rem tractavit vir clarissimus nec satis accurate animadvertit, quod cuique sectae tanquam proprium tribuitur. Equidem satis dilucide evictum arbitror esse hoc, et posse et debere distingui tum Brachmanas inter et Sarmanas, tum inter eos ac Samanaeos.

Bohlenium nunc impugnare aggredior, qui, postquam recte statuit, Samanaeos Buddhae sectatoribus esse annumerandos, addit, Sarmanas ex sua opinione eiusdem fuisse sectae. Quod si verum est, falso nos sumus arbitrati, Sarmanas esse anachoretas, ex Indorum ordine primo sive sacerdotali potissimum segregatos. Sententiae suae documenta affert Bohlenius tum nominum similitudinem, tum convenientiam morum, qui in Sarmanis et Samanaeis simillime describantur. Verum, ut ab hoc incipiam, insigniter errat Bohlenius eo, quod dicit, Sramanarum appellationem ab Indis referri ad Buddhaicam disciplinam. Utuntur Buddhistae, utuntur etiam Brachmanae; quod exemplis luculentis, si huius loci esset, possem demonstrare. Nomine igitur nil evincit, imo nominis discrepantia potius probabile est, ipsarum sectarum discrepantiam indicari. Id quidem recte asserere mihi videtur Bohlenius, Sarmanarum nomen referre formam linguae Sanscritae Sramana: Samanaeorum autem appellationem ortam esse e forma dialecti Palicae sive vulgaris *Sammana*. Non ignoro utraque Indicae linguae dialecto, Sanscrita ac Palica, usos fuisse Buddhistas, dum sola Sanscrita in Brachmanum litteris obtinet. Sramanas igitur semetipsos dicere potuere Buddhistae Sanscrite loquuti. Verum enim vero si usum utriusque vocabuli apud veteres respexeris, invenes,

nullo prorsus loco unum pro altero poni aut invicem permu-
tari. Cuius constantiae certa quaedam caussa esse debet.
Hinc fit, ut vel e sola horum nominum diversitate nascatur
suspicio, Sarmanas revera diversos esse a Samanaeis. Quae
quidem suspicio in certitudinem convertetur, si vitam utrius-
que sectae propriam respiciemus. In hoc enim maxime pec-
cavit Bohlenius, quod ea tantum, quae utrique disciplinae
communia sunt, contulit, omissis eis, quibus una ab altera
distinguat. Nil igitur efficit, castitatem, coelibatum, in ci-
bis continentiam, abstinentiam ab esu carnum, nuditatem,
ieiunia, alia Sarmanis cum Samanaeis communia iactando.
Quae omnia in unamquamque Gymnosophistarum Indicorum
sectam quadrant. Eae contra res, quae in Sarmanis et Sa-
manaeis diversae cernuntur, solae litem dirimere possunt,
hisque est insistendum. Quod si fit, ut supra a me factum
est, evincitur, Sarmanas non eosdem esse ac Samanaeos.

Recte igitur positum fuisse reor istud discrimen, verum,
ut nil omisisse videar, quo meam possim stabilire sententiam,
breviter commonstrabo, nullum mihi adversari veterum, imo
omnes suffragari. Clemens itaque Alexandrinus loco a me
iam excitato 34), postquam loquutus est de Gymnosophistis et
inter eos praesertim de eis Sarmanis, qui Hylobii diceban-
tur, hunc in modum pergit: εἰσὶ δὲ τῶν Ἰνδῶν οἱ τοῖς Βούτ-
τα πειθόμενοι παραγγέλμασιν. ὃν δὲ ὑπερβολὴν σεμνότητος
εἰς Θεὸν τετιμήκασι. Quemadmodum loqui minime potuit, si
Sarmanae, de quibus mox dixerat, iidem fuissent ac Sama-
naei; hi enim Buddhae sunt sectatores. Alio deinde loco
Gymnosophistis opponit *Semnos* 35) quosdam, qui pyramidem
quandam, sub qua reposita esse credebantur dei cuiusdam
ossa, colere dicuntur. Deus hic Buddhas est, ut omnes ha-
rum rerum periti concedent; vidit etiam Bohlenius, qui in
eo tantum errat, quod hoc vocabulum nil aliud esse conten-

34) Strom. I, p. 359.

35) Strom. II, p. 538. Pott.

dit, quam Samanaeorum nomen in similitudinem Graecae vocis desflexum, quum potius sit Graeca interpretatio Indicae appellationis *arhat*, qua Buddhisticae religionis antistites dicuntur. Semni igitur, qui Samanaei sunt, quum Gymnosophistas, quorum pars Sarmanae fuere, contraponantur 36), Sarmanae a Samanaeis sunt diversi.

Errori autem, quem refutare conamur, ansam praebeuit Porphyrius; is enim et Samanaeos et Brachmanas Gymnosophistas appellat; Clemens contra Gymnosophistas aut Brachmanas aut Sarmanas esse docet, quia re, suadente et incitante quasi utriusque nominis similitudine, eo adducti viri docti sunt, ut obliviscerentur, et diversa tradi de utralibet secta et vario sensu a variis scriptoribus usurpari Gymnosophistarum nomen aequae ac Brachmanum.

Locus denique est Originis contra Cels. I, p. 19. qui adversari nobis videri posset, si postrema tantum verba *Βραχμῆνες ἢ Σαμαναῖοι* respicerentur. Sed continuatur per disjunctionem tota ista sententia. En verba: Ἐὰν τοίνυν δυνήθωμεν παραστῆσαι φύσιν ὀνομάτων ἐνεργῶν, ὧν τισὶ χρῶνται Αἰγυπτίων οἱ σοφοί, ἢ τῶν παρὰ Πέρσας Μάγων οἱ λόγοι, ἢ τῶν παρ' Ἰνδοῦς φιλοσοφούντων Βραχμῆνες ἢ Σαμαναῖοι.

VII.

Vindicato hunc in modum Samanaeorum nomine non haesitabo asseverare, de eisdem Indicis philosophis i. e. de Buddhae asseclis verba fieri, ubi Bactrianorum et Persicorum Samanaeorum mentio sit iniecta. Loci sunt duo: prior Cyrilli contr. Iulian. IV. (Tom. VII, p. 134. ed. Aubert.) *ἱστορεῖ γοῦν Ἀλέξανδρος ὁ ἐπίκλην Πολυῖστωρ — ἐφιλοσόφησαν δὲ — καὶ ἐκ Βάκτρων τῶν Περσικῶν Σαμαναῖοι, καὶ Κελτικῶν οὐκ ὀλίγοι, καὶ παρὰ Πέρσαις οἱ Μάγοι, καὶ παρὰ*

36) l. l. οὔτε δὲ οἱ Γυμνοσοφισταί, οὐδ' οἱ λεγόμενοι Σεμνοί κ. τ. λ.

Ἰνδοῖς οἱ Γυμνοσοφισταί. Ab eodem Alexandro profectus esse videtur alter locus; Clementis Alex. Strom. I. p. 359. φιλοσοφία τοίνυν --- πάλαι μὲν ἤκμασε παρὰ βαρβαροῖς --- προσέστησαν δ' αὐτῆς Αἰγυπτίων οἱ προφηῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι, καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυῖδαι, καὶ Σαμαναῖοι Βάκτρων --- Ἰνδῶν τε οἱ Γυμνοσοφισταί.

Res est per se minime improbabilis, in regionem prorsus contiguam ex India invec̄tam esse Buddhicam religionem, praesertim quum constet, cadere hoc saepius in novas opiniones, quod in ipsa patria acerrime impugnentur et, vetustarum ac longa traditione confirmatarum persuasionum stabilitate devictae atque in angustiores fines quasi coarctatae, novas sedes, novamque sui libere propagandi facultatem quaerere cogantur. Qualia fata in India passam esse Buddhae doctrinam scimus. Corroboratur praeterea egregie Alexandri Polyhistoris testimonium tum Sinarum annalibus, tum Sinensium viatorum itinerariis, quibus edocemur, primis Christianae religionis saeculis, forsitan etiam prius, floruisse per Bactrianam et regiones ei adiacentes Buddhistarum dogmata 37). Brachmanas etiam numero haud paucos Bactrianam frequentasse tradit Eusebius Praepar. Evang. VII. 10.: παρὰ Ἰνδοῖς καὶ Βάκτροις εἰσὶ χιλιάδες πολλαὶ τῶν λεγομένων Βραχμάνων κ. τ. λ. Quod quia a nemine aliorum traditum invenio, libenter crediderim, in errorem delapsum esse Eusebium, qui compertum habuerit apud Bactrianos inveniri philosophos Indicos, sed haud animadverterit, hos a Brachmanis fuisse diversos. Vel credit Eusebius, Brachmanum nomine omnes designari posse Indicos philosophos.

Sed haec hactenus. Vereor enim, ne nimis longe iam abusus sim lectorum patientia, tractando ieiunum hoc in sola nominum definitione positum argumentum. At sciunt talium rerum periti, altissimae indaginis disputationes saepius pen-

37) Cf. *Rémusat*, histoire de Khoten p. 12. etc. *Nouveau Journal Asiatique* 1831. p. 237.

190 De nom., quib. a vet. appell. Ind. philos.

dere a minutulis hisce quaestionibus. Iucundius sane fuisset, quae de Indicorum philosophorum decretis a veteribus traduntur, ex Indicis fontibus, ipsisque Gymnosophistarum voluminibus illustrare; sed ne fieri quidem hoc poterat, ante absolutam iam et ad certum finem perductam de nominibus disputationem. Sperabam igitur fore, ut praeoccupando provinciam hanc fertilitate et amoenitate destitutam negotium agerem haud prorsus inutile, si modo id faciendo praefultum et praemunitum sermonem redderem ei, qui altiore istam quaestionem olim esset aggressurus.

Christianus Lassen.
